

## **Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis**

**Sang, Eucharius**

**Wirceburgi, 1607**

Capvt IX. Puer in ventre, grauissimè læsus cultro, diuinitus curatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)

## CAPVT IX.

Puer in ventre, grauissimè læsus  
cultro, diuinitus curatur.

**I**N prouerbio est; non enses furiosis, non  
cultros pueris, in manus dandos: sàpè  
enim hi seipsoſ, illi non rarò alios lædunt.  
Idipsum esse verissimum: anno VII. su-  
pra millesimum quingentesimum, in vico Lei-  
nach, experientia docuit Leonhardum Spor. Fili-  
um hic habebat quinqennem, qui cultrum manu  
versans, in eundem incautus ruit, & tam altè in  
ventrem, iuxta stomachum, infixit, vt dixi-  
ſes, vulnus mox ipsam mortem allaturum. Adest  
mater, aspicit vulnus, vociferatur. Vicini, cla-  
more flebili exciti, aduolant, puerumque reperiunt  
in terra, mox terræ, omnium sententia, dandum,  
niſi, qui omnia potest, DE VS adiuuet. Incla-  
mant Deiparam, quæ Dettelbachij ægris est auxilio;  
votuum & donum addunt. Inter præsentes, quod  
admirandum, nullus erat, qui cogitaret, cultrum è  
pueri ventre extrahendum; omnes instabant pre-  
cibus. Rectè sanè; rogandus erat ante omnia, qui  
necis & vitæ dominus; qui plagaſ ſolus mortiferas  
sanat, & ſine quo Medici, ſit Hippocratis aut Gale-  
ni, manus, nequicquam proficit. Tandem mater  
filio cultrum, non tremula, ſed virili extrahit ma-  
nu. At quis illi mœrorem, quaſi enſem ex corde?

D 2

Defi-

Deficit illicò corporis viribus, & concidit mente. Erat periculum, ne fatus, cum vterum gestaret, moreretur, & ipsa simul; quin & filius ante saucijs. Quotvnis in ædibus funera? D E V S Diuaq; malum auertunt. Redit ad mentem mater; surgit, & ambulat filius, non aliter, ac si nec Iæsus quidem. Vulnus alijs exhibet spectandum, nec ipse ex eo sentit dolorem. Vulnus altum est, nec indè, vel gutta cruentis promanat. O mira: sed vera. Stupent omnes viso antè periculo; vim & D E I manum notant. Parentes animum religione expediunt. Diuam ipsam, in domo Dettelbacensi, veniunt salutatum, &, de multiplici accepto beneficio, grates laudesque dicunt.

## CAPVT X.

### Vir gladio transfixus con- ualescit.

**A**NNO M. D. IX. Aliquot ruricole, pro more & consuetudine patriæ, hausto immoderatè vino, haud procul ab opido Mergethaimio, rixari incipiunt, & enses stringere. Litem dirempturus, adest Georgius Leuserus (vir sobrius, pacisque amans) nè inter gladios per aëra iam volitantes, perpetretur cædes humana; cuius mater est turpis & fœda ebrietas, enixè cauet: sed non satis sibi. Ab uno litigantium, quem credebat

sib